



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi Opusculum Asceticum Posthumum**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1643**

42. De Deo vt est vita nostra.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46564](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46564)



nos separare à charitate Dei, qua est in  
Christo IESU Domino nostro.

Tibi sæculorum Regi immor-  
tali & inuisibili, tibi misericordia-  
rum Patri, Conditori, Redempto-  
ri, & Saluatori nostro, tibi om-  
nium bonorum nostrorum aucto-  
ri, honor & gloria, & benedictio,  
& gratiarum actio ab omni creatu-  
ra, in omnes generationes sæculi  
sæculorum. Amen.

#### CONSIDERATIO XLII.

*De Deo ut est vita nostra.*

**D**EUS generatim *vita* dicitur  
I. tanquam fons omnis vitæ:  
nam omnis vita & suprema, & me-  
dia, & infima; Angelorū, hominū,  
animalium & plantarū, ab ipso est  
tanquam quædam illius vitæ fonta-  
lis adumbratio vel participatio, cla-  
rior vel obscurior: & omnis vita in  
ipso eminenter, & ab æterno, &  
sine mensura continetur.

2. Qui



2. Quia ipse est vita infinita, immensa, æterna, tum formaliter, tum obiectiue. Formaliter quidem, quia vita suprema formalis in ipsius visione, amore & fruitione consistit. Ipse autem est sua visio, suus amor, sua fruitio; ac proinde est sua vita formalis. Obiectiue verò est sua vita, quia est sua vitalis essentia, in cuius visione, amore, & gustu, vita formalis æterna & beata consistit. Vita eius infinita est, sicut visio eius & amor, & gaudium de essentia sua, quæ est bonum infinitum, in quo infinita bona continentur. Itaque sicut totam sapientiam suam, totum amorem, totum gaudium suum à seipso habet tam ex parte obiecti, quàm ex parte ipsius, ut sic dicam, actus vitalis; ita totam vitam suam ex utroque capite, & secundum utramque considerationem à seipso habet.

M iij 3. Dici;



3. Dicitur *vita* omnium rerum, etiam possibilium, secundum esse obiectiuum & intelligibile. Omnia enim in illo viuunt per suas ideas, & conceptus æternos, quibus illa concipit, & intelligit. per illos enim conceptus existunt omnia in mente diuina obiectiuè, & lucent non minùs, ac si foris existerent. Atque hoc modo accipiunt quoddam esse vitale, & æternum, quod nihil est aliud quàm à mente diuinâ intelligi. Ratione huius conceptus vitalis, omnia dicuntur viuere in Deo, sicut opus in mente artificis.

Quartò, peculiariter dicitur *vita nostra*.

1. Quia cū mortui essemus peccatis, & addicti morti æternæ, quæ mors secunda dicitur, ipse ab utrâque nos per filij mortem liberauit; & vitam gratiæ, per quam possemus peruenire ad vitam æternam, nobis infudit.

2. Quia



2. Quia non semel tantū vel bis mortuos peccatis viuificat, sed centies, & millies; imò paratus est omnes omninò peccatores, quotiescūque se per peccatum occiderint, & vitam diuinā in se extinxerint, iterum viuificare, si ad ipsum per veram pœnitentiam confugerint. Imo innumeris modis eos ad vitam hanc vocat, allicit, inuitat, compellit.

3. Dicitur *vita nostra*, tum quia est causa omnium donorum gratiæ, & gloriæ, quibus vitam æternam, diuinam, sublimissimam, & beatissimam viuemus; tum quia ipse est obiectum vitæ æternæ, cū in ipsius visione & fruitione vita æterna consistat.